



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

Canisius, Heinrich

Coloniae Agrippinae, 1662

Ad Rubricam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

IN TIT. XXVI. DE PRÆSCRIPTIONIBUS.

Ad Rubricam.

SUMMARI A.

1. *Præscribere & Præscriptio quid.*
2. *Cur introducta.*

Quanta sit hujus Tituli utilitas docet passim forensis usus, cum ea nihil frequentius in judicio, tam Ecclesiastico quam civili, adferri vel opponi soleat.

I Præscriptionis verò verbo quandoque latius, quandoque strictius utitur. Latius pro quavis exceptione, ut idem sit præscribere, quod excipere contra actorem, *l. Si debitor 91 in fine D. De solutionib. l. Si expressim 19. D. De appellat. & l. Qui agnis 11. D. De except. l. Indicata 29. D. De except. rei jud. & aliis quamplurimis locis, quibus præscribi dicitur actioni, vel præscribi contra actorem. Strictius verò accipitur hoc in loco pro exceptione temporis legitime elapsi, quo quis est in possessione alicujus rei, vel quasi possessione: veluti si quis rem Ecclesiasticam quadraginta annis possederit, habet à jure exceptionem præscriptionis, quæ repetentem eandem rem excludit ab actione, *c. Ad aures 6. c. Illud 8. hoc tit.* Idem est de jure civili, quo & interdum præscriptionis verbum accipitur pro exceptione temporis, quo res usu-*

capta vel præscripta dicitur, *ut sub tit. C. De præscripti longi temporis, item De præscript. 10. vel 40. annorum.* Et solet apud purioris linguæ auctores verbum præscribere conjungi cum dativo, veluti huic rei vel actioni præscripti, id est, exceptionem ex lapsu temporis mihi acquisivi contra actorem, agentem ejusdem rei nomine. Quamvis & hodie usurpatum sit, ut etiam rectè dicamus, præscribere hanc rem, præscribere decimas aut aliud jus.

Præscriptio publicæ utilitatis causâ introducta fuit, ne rerum dominia in incerto essent, *l. 1. D. De usucap. & ut aliquis esset litium finis, l. fin. D. Pro suo.* Quamvis alioqui naturalis æquitati adversari videatur, eo quod iniquum sit, alterum cum alterius injuria fieri locupletiore, *l. Nam hoc natura 14. D. De condit. indeb. & l. Iure naturali D. De R. l.* Sed præscriptio, de qua hic agitur, ut dixi, permittitur utilitatis publicæ causâ. Igitur non tam adversatur naturali æquitati, quam eam superat, ita ut in hac parte naturalis æquitas potius cedat præscriptioni, *arg. l. Bona fides 31. D. Depositi,* ubi & jus gentium creditur civili ob publicum commodum.

In Cap. Sanctorum 3.

SUMMARI A.

1. *Res privatorum quanto tempore præscribantur.*
2. *Res Ecclesiastica præscribuntur 40 annis.*

Sententia huius Capituli hæc est, quod per possessionem quietam & sinceram, id est, quæ cum bona fide est, Ecclesiæ res privatorum præscribantur triginta annis. Nam & illud de jure civili receptum est inter privatos, ut unus alterius res eodem tempore præscribere possit, *l. Si quis emptio 8. §. 1. C. De præscript. 30. vel 40. annor.* ubi scilicet quis nullum titulum habet, sed tantummodo bonâ fide nititur: nam si cum titulo & bonâ fide, sufficeret longum tempus, videlicet inter præsentem decem anni, inter absentes viginti, *l. fin. C. De præscript. long. temp.*

2 Unde retinendum est discrimen inter res Ecclesiasticas, quæ non nisi 40. annis præscribun-

tur, *c. 4. 6. & 8. inf. hoc tit.* Res verò privatorum, si ve sæcularium præscribuntur, si ve à privato, si ve ab Ecclesiâ, 30. annis absque titulo, vel cum titulo 10. vel 20. annis, vel etiam triennio, si res mobilis sit, *ut. l. inf. De usucap.* Et sic Ecclesiâ alio iure utitur contra laicum, alio contra se, si quidem laici non præscribunt rem Ecclesiasticam 30. annis, sed 40. annis opus est: at è diverso Ecclesiastici præscribunt rem laici 30. annis, vel etiam minori tempore, ut antè dictum est.

Neque obstat tit. D. Quod quisque iuris in alterum statuit ut ipse eodem iure utatur, quia non tantum Ecclesiâ statuit, ut contra Ecclesiâ præscriptio non nisi quadragenaria currat, sed & ipse Justinianus idem constituit, *in Auth. Quas actiones C. De sacros. Eccles.* Unde & indulto hoc privilegio Justiniani rectè utitur Ecclesiâ, de quo latius in *c. Vigilanti inf. eod.*

In Cap.